

## CAPUT VII.

De,

# CAUDA COMETARUM.

§. I.

**D**E Capite Cometarum supra egimus: jam de Caudâ eorum vi-  
debimus.

§. II. Sed prolixis nobis esse non licet. Qui diversas Aucto-  
rum sententias vult cognoscere, is Ricciolum (α.) & Hevelium, (β.)  
*Astronomorum Phœnices*, consulat: Illi accurate ipsi respondebunt.

(α.) loc. cit. cap. XXV. f. 121, seqq. (β.) L. IIX. *Cometograph.*

§. III. Nos propriam sententiam paucissimis explicamus;  
& anteqvam id faciamus, pauca qvædam præcognoscimus.

§. IV. *Primo*: cum certum sit, capita Cometarum esse æthe-  
rea, in procli vi est perspicere, etiam ibidem Caudas dari. Qvare o-  
mnia, qvæ in hoc Capite proferenda restant, minimè de aëre, sed  
æthere accipienda sunt.

§. V. *Secundo*: operæ pretium est scire, capita Cometarum  
lucem omnino à Sole mutuari; atqve exinde etiam Caudas à Luce  
Solari ejusque radiis procreari. Vide cap. anteced.

§. VI. *Tertio*: qvod Cometarum Capita corpora minimè sint  
sphærica; sed discea & explanata; qvem discum Soli perpetiò ad per-  
pendiculum directè obvertunt. Vide Cap. IV.

§. VII. *Quarto*: qvod Caput ex diversissimis nucleis, tum  
tenuiori materiâ porisqve intersitâ, constet, ut radiis Solaribus haud  
difficulter transitum concedat. Vide iterum Cap. IV.

§. VIII. *Quinto*: qvod omnes Cometas peculiaris Atmo-  
sphæra cingat; hoc est, corpori ab omni parte circumcirca magna vis  
adhuc multò tenuiorum exhalationum, qvam Caput alias possidet,  
adhæreat; Cometamqve in omni motu concomitetur, ad rationem  
nostræ Atmosphæræ Terrenæ.

§. IX. Qvando itaqve radii Solares in corpus istud disceun-  
t incident, in primis in nucleos illos diversos, eorumqve variæ, varie-  
qve inclinatas superficies adversus Terram expositas, plures & r-  
etiores ad nos reflectuntur, qvorum beneficio caput Cometæ consi-  
cimus; at reliqui radii ad latera nucleorum, hinc inde tūm in mate-  
ram